INDEX LECTIONUM

IN

UNIVERSITATE STUDIORUM JAGELLONICA

A DIE 1. OCTOBRIS ANNO MDCCCXVI.

AD MEDIUM MENSEM JULII ANNO MDCCCXVII.

INSTITUENDARUM.

CRACOVIAE

TYPIS ACADEMICIS.

Civibus Litterarum Studiosis

S. P.

Universitatis Studiorum Jagellonicae Cracoviensis Rector

Valentinus Litwiński

Cum Senatu Academico.

Quae Janocius in Hist. Miscell. II. p. 212. de Jacobo Parkoski de Stôrawicz juris civilis sec. XV. Scriptore, fretus auctoritate Catalogi Mss. Bibliothecae Universitatis Cracoviensis a. 1777 conscripti affirmavit, ea omnino falsa sunt, nam alio loco laudatus idem ille Jacobus Parkoski, etsi Catalog. p. 351. non 180. instituta juris civilis scripsisse dicatur, tamen in ipso Codice Manuscripto BB. VI 13. nihil praeter praefationem Matthaei de Cracovia opusculo suavistilla s. favistilla dicto praefixam reliquisse videtur. Sufficiat breviter exponere scripta, quae in Codice memorato in 4to foliis chartaceis 134. continentur:

I. Raymundi Parthenopei Summa juris, quae Statuto Laskiano a. 1506. longe correctior adnexa est. fol. 98.

In unico autem hoc Codice Bibliothecae Universitatis Litterarum Cracoviensis nulla auctoris est mentio, sed folio 95. verso haec leguntur: *Explicit liber de jure personarum et rerum et actionum et cetera sub anno Domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono: Ego Johannes Clericus de Bądzen* (Będzin Polonicum oppidulum in confinibus Silesiae). Fol. autem 98vo in fine indicis: *Iste liber finitus est simul cum tabula seu registro subscriptis feria quinta ante festum Viti proxima Anno Domini ut supra in Oppido Slawkow et cetera.* Nec differt, quod ad partitionem textus in libros IV., item quod ad singula capitula et argumentum totius operis attinet, haec Summa Raymundi Parthenopei manu Joannis de Bedzin scripta ab exemplari a. 1506. typis impresso, sed exstant variantes lectiones, eaeque minus latinae, e quibus fit verisimile: exemplar typis manda-

datum sive Joannis Łaski sive Jacobi de Zaborowo opera correctum fuiſse. Quo loculentius id pateat, vel parciſsima lectionis varietas accuratius inspecta de hac re quemlibet Lectorem edocere poterit v. g.

Łaski.	Noster Codex.
Fol. I. v. 1. paternam pietatem, quam erga filios meos habui	*paternalem amorem, quem ad filios meos habui.*
— — v. 4. utilem	*levem.*
— — v. 8. honore et utilitate . . .	*proficuo et honore.*
— — v. 13. tempore belli	*tempore impacis.*
Fol. I. verso v. 7. quae sunt jure naturali contraria	*que sunt juri naturali contraric.*
— — v. 9. unamque habebant libertatem	*unaque habebant libertatem.*
— — v. 13. occupatio	*sedium occupatio.*
— — federa pacis et induciarum	*federa pacis et trevge.*
— — v. 17. utuntur	*sortiuntur.*
— — v. 21. lege lata	*lege postea lata.*
— — v. 26. multiplicatis	*plurificatis.*
— — dumunculas	*domiculas.*
— — permanebant	*commanebant.*
— — v. 29. aſserens eis	*et dixit eis.*
— — v. 31. coerceantur	*intercipiantur.*
— — v. 33. multiplicatis et amplificatis	*plurificatis et ampliatis.*
— — v. 34. civitatem multi . . .	*civitatem.*
Fol. II. v. 8. consulares	*consules.*
— — v. 19. promulgationem . . .	*provulgationem.*
— — v. 20. observationem	*observanciam.*
— — v. 23. improbos	*reprobos.*
— — v. 24. improborum formidato supplicio	*improbis formidato supplicio.*
— — v. 26. honeste	*juste.*
Fol. II. verso v. 6. Ligurus Lacedomonibus	*Ligurius Macedomonibus.*
— — v. 14. et magistratus creari ceperunt	*et m. c. et leges scribi ceperunt.*

A 2

II. Auctoritates seu adnotata ex auctoribus diversis classicis et aliis contra varia hominum vitia fol. 5. a fol. 99. ad 104. v. g. *contra somnolentos, contra linguosos, contra inconstantes. etc.*

III. Matthaei de Cracovia tractatus in manuscripto Codice nostro Favistilla s. Suavistilla dictus fol. 20. cui in fine haec est epigraphe f. verso 124: *Explicit tractatus qui intitulatus Sfavi tlla (Ffavistilla?) Magistri Mathei de Cracovia perswasivvs de sepe celebrando et cetera Jhesus Cristus Maria.*

IV. Alberti Ranconis de Hetuno (Hestuno, Hesdin?) epistola, quae sic incipit fol. 125. recto: *Carissimo suo socio et amico Martino Plebano in vico artificum majoris civitatis Pragensis Albertus Ranconis de Hetuno indignus in sacra pagina et in artibus Magister Parisiensis Scolasticus ecclesie Pragensis Salutem.* Haec epistola constat foliis 9. et est de communicantium devotione, quam auctor, ut ipse testatur, *confirmare studet, ut contrariam opinionem per scripturas catholicas confutari possit.*

Quid autem sibi voluit et ubi illa Jacobi Parkossii (non Parkoski) praefatio ad Matthaei de Cracovia suavistillam? Folio 105. recto sic illa quidem incipit: *Reverendissimo in Christo Patri et dno domino Sbigneo Dei gracia Episcopo Cracoviensi sibi domino metuendissimo Magister Jacobus Parkossii de Szorawicze decretorum doctor etc. suorum minimus clericorum pastoralis curam regiminis feliciter gerere et laudem in nomine Domini perhenniter obtinere.* Quis ille Jacobus Parkossii, ut opinor, filius, idemque Polonus fuerit, jam ex hac inscriptione epistolae apparet. Quem in finem autem Matthaei de Cracovia opusculo praefatus fuerit, elucet ex his verbis folio eodem verso: *quid Deo gracias* (gratius) *et acceptabilius inveniri aut excogitari potest, quam membrorum domini vel personarum miserrebilium* (miserabilium) *misereri et ipsum ipsimet sacrificando ymolare et ymolando victimari, quod quatenus vestra reverendissima Paternitas et efficiat frequencius et efficacia fervidius, presentem tractatulum, utpote ad hec non tam efficaciter, quam mirabiliter inducentem, qui ob sui compendiositatem et dulcedinem sfavistilla non inconcinne vocari potest, dignum duxi offerendum. Quemque nedum pontificibus, sed omnibus passivi* (sic) *presbyteris ymo et alias laycaliter communicantibus ac communicare volentibus saluberrimum ac perutilimum* (sic) *vestra reverendissima Paternitas prospiciet, dignum reor ipsum synodaliter publicandum, ut ceteri solicitamentis et avis*

samen-

Jacobus Parkosz de Szorawice Rector 1439. Universitatis, idem Rector Eccles. Parochialis S. [illegible] in Rupella Kaz[illegible]

[illegible]

samentis (sic) *ejus inducti, tanto frequencius, quanto effectuosius sacrificantes largitoris graciarum graciam in via et tandem gloriam in patria percipere mereantur etc. Jhesus Christus.*

Jam quoque qualis noster Jacobus Parkofsii fuerit, ex illis, quae laudavimus, abunde emergere poterit. Restat autem, ut de opusculo Matthaei de Cracovia in Codice nostro Favistilla (ffavistilla) sive Suavistilla (sfavistilla) dicto, id enim non liquet, ea breviter in memoriam revocemus, quae fusius alii tradiderint. Hunc enim tractatum jam in officina Gutenbergiana anno 1458 typis excusum fuifse docuit Gothelf Fischer *Beschreibung typographischer Seltenheiten* Lief. III. p. 79. sub titulo: *Tractatus racionis et consciencie de sumcione pabuli salutiferi corporis domini nostri Jhesu Christi.* Quod idem opusculum celeberrimi Viri Jo. Alb. Fabricius Biblioth. m. et inf. aetatis ed. Patav. T. V. 48. 49, Panzer Norimbergensis et alii sub alia inscriptione alibi prodiifse indicaverunt: v. g. *Utrum deceat Sacerdotes Mifsas continuare vel Laicos frequenter communicare.* Memingae 1491. quem quoque ut apud nos in Codice manuscripto dialogum inter rationem et conscientiam habitum Jos. Andreas Zaluski in Programmate literario Dantisci 1743. a Georgio Petro Schultz edito p. 41. a Petro Saunier Ord. S. Spiritus de Saxia in usum Reginae Poloniae Ludovicae Gonzagae in Francogallicum sermonem translatum, et Lugduni 1652. imprefsum fuifse narravit. Idem dialogus apud Fabricium l. c. audit: *Conflictus rationis et conscientiae de summendo vel abstinendo corpore Christi.* Sed omifsis Jacobo Parkofsii et Matthaeo de Cracovia indicandum efse Vobis, Cives Academici summa cum voluptate censuimus, quod utroque potius est: jam e prelo Mateciano Cracoviae brevi in lucem prodituram efse difsertationem Illustrifsimi Viri Josephi Maximiliani Comitis Ofsoliński, Excellentifsimi Caesareae Vindobonensi Bibliothecae Praefecti, Socii Nostri Honorarii de Raymundo Parthenopeo et antiquo in Academia Nostra Juris Romani sive Civilis studio. Haec autem difsertatio adnexa erit Operi majori, quod *Vitae Eruditorum Polonorum* Lingua patria inscriptum est. Tam ex Opere universo, quam et ex illa difsertatione non parum laudis Universitati Nostrae Literariae redundabit, quod aliter ignoratum fuifset. Sunt enim praeter instructifsimam rarifsimorum seculi XVI. scriptorum nostratium Bibliothecam Illustrifsimo Comiti Josepho Maximiliano Ofsoliński non pauci Codices manuscripti Polonorum, qui ad historiam Universitatis Nostrae faciunt, in

qui-

quibus prae caeteris Stanislai Josephi Biezanowski Continuatio Annalium Universitatis Nostrae a Martino Radymiński a. 1660 scriptorum eminet. Quem Codicem Latine elegantissimo sermone, longe meliori, quam evulgata typis ejusdem poemata scriptum, si per tempus licebit, olim transcribendum curabimus. Nam ea est Viri Doctissimi Comitis Illustrissimi Ossolińki humanitas, ut nemini literatorum non sit adjumento et patrocinio. Sed ea quoque subsecuta est apud nos rei literariae felicitas, ut de prosperis eventibus optime confidere possimus. Quae et quanta opera anno praeterito summi Gentis Nostrae Viri, Doctissimi et Illustrissimi, Stanislaus Comes Potocki, Alexander Comes Chodkiewicz et Stanislaus Staszyc, et alii, quorum nomina praesentes pagellae non capiunt, in variis ediderint disciplinis, certe neminem inter Vos latuit. Id autem, ut Vobis novos ad studia animos addat, meminisse juvabit. Nec opus tamen est exhortatione, ut maxima cum alacritate Vos ingenuis humaniorum et literarum studiis dedatis, nam id Vobis ipsis jampridem in votis erat. At potius, ut lenta cum festinatione studiis, quibus operam impenditis, cum assiduitate et diligentia et indefesso labore incumbatis, id iterum iterumque estis comonefaciendi, ne altiorum studiorum difficultatibus deterreamini, sed ut eorum dulcedine eo magis incitemini. Nihil enim, ut Quintilianus L. X. C. 1. rerum natura voluit magnum effici cito, proposuitque pulcherrimo cuique operi difficultatem. Sed eadem natura nihil tam alte constituit, quo virtus non possit eniti, et ut idem a nobis laudatus Quintilianus L. I. C. 1. testatur: nemo reperitur, qui studio nihil sit consecutus. Memores igitur Vos esse volumus: nihil mortalibus ardui esse, dum modo velint recte et fideliter didicisse ea, quae sibi proposuerint. Non perfunctorie vero, sed cum contentione animi et mentis addiscendae sunt literae et artes, quarum fructus laudes immortales adfert. Sed etiam a doctrina et scientia non disjungenda est probitas et honestas, sine quibus nullus in literis et artibus unquam fuit profectus. Si autem gratissimum Nobis erat ostendere Vobis exempla Virorum genere et eruditione nobilissimorum, qui dum vel honoribus summis funguntur, vel reipublicae curas gravissimas agunt, quamvis parum otii ipsis supersit, literarum et studiorum amorem cum egregia virtutis indole nunquam ex animo dimiserunt, certe non minorem exinde laetitiam percepimus, quod mores vestros legibus academicis semper conformes conservavistis, et vita laudabili et honesta animos virtuti et pietati sincere de-

di-

ditos Nobis probavistis. Recti conscientia dabit vobis optimum testimonium, nam quod audacter, improbe vel importune factum fuerit, quidquam nemo Vobis objicere potest. Eam morum modestiam cum pietatis et virtutis amorem, ut futuro anno scholastico quoque illibatam teneatis, magnopere Vos exhortamur. Sua quemque sors manet. Non pendent quidem a virtute et doctrina vita commoda et divitiae et honores, sed vita beata et eruditio et scientia semper pendebunt a diligentia, virtute et pietate, atque a recto literarum et artium studio. Recte igitur Ovidius: *Didicisse fideliter artes, emollit mores, nec sinit esse feros.* Recte et Nos etiam acclamabimus Vobis:

O Cives Nostri, didicisse fideliter artes
Dat bona fausta probis, nec sinit esse malos.

Quos autem in literis et artibus progressus feceritis, eos nolite Vobis ipsi tribuere, sed Deo Optimo Maximo acceptos referte, nam ille omnium bonorum Dator informes malorum hiemes a nobis ita removit, ut laeti pace fruamur, et sub tutela Augustissimorum et Potentissimorum Imperatorum et Regum prosperrima quaeque exspectemus.

(Banditke)

ORDO

ORDO THEOLOGORUM.

Dominicus Markiewicz, Phil. et S. Theol. D. P. P. O. Canonicus Cath. Livonien. h. t. Fac. Theol. Decanus.

Hor. mat. 8—9. Theologiam Pastoralem juxta systema Lauberianum quotidie exceptis Saturni diebus exponet.

Florianus Kudrewicz, Ord. S. Basilii M. S. Theol. D. Sacrae Scripturae Prof. P. O.

Hor. mat. 10—11 quotidie excepto die Saturni tradet Hermeneuticam, Philologiam et Exegesin Novi Testamenti.

Nicolaus Gilles, P. P. O.

Hor. mat. 9—10 Theologiam dogmaticam cum Prolegomenis profitebitur.

Nicolaus Janowski, Ord. S. Franc. Conventual. S. Theol. D. P. P. Extraordin.

Hor. pom. 3—4 quinis per hebdomadem diebus, excepto die Saturni, tradet Theologiam Moralem.

Matthaeus Kozłowski, Ord. Praedicator. S. Th. D. P. P.

Hor. pom. 2—3 quinis hebdomadis diebus, excepto die Saturni, exponet Historiam Ecclesiasticam juxta Systema Gmeineri.

ORDO JURIS-CONSULTORUM.

Adamus Krzyżanowski, J. U. D. h. t. Decanus P. P. O.

Hor. mat. 9—10 quotidie praeter diem Saturni exponet Jus Civile, provinciale et cambiale.

Valentinus Litwiński, J. U. D. P. P. O.

Hor. pom. 5—6 diebus quinis per hebdomadem excepto die Saturni tradet Jus criminale semestri brumali, Codicem judiciarium civilem per semestre aestivum.

Augustinus Boduszyński, J. U. D. P. P. O.

Hor. pom. 4—5 quotidie quinis diebus excepto die Saturni Jus Romanum et Canonicum docebit.

Felix Słotwiński, *Phil. et J. U. D. P. P. O.*

Hor. pom. 3—4 quotidie exceptis diebus festis Jus naturae universum (privatum, civitatis et gentium) per semestre hyemale — Oeconomiam politicam, Scientiam aerarialem et Statisticam per semestre aestivum docebit.

ORDO MEDICORUM.

Franciscus Kostecki, *P. P. Em. h. t. Decanus Fac. Medicae.*

Hor. def. tradet duce Hufelando Macrobioticam.

Adalbertus Georgius Boduszyński, *Med. D. P. P. O.*

Praxin Medicam auditoribus, quibus competet, in Instituto clinico, ab hora 9. quotidie tradet, tum etiam eandem horis determinandis in Nosocomiis Urbis demonstrare conabitur.

Horis vero pomeridianis 4—5 Therapiam generalem ac specialem morborum chronicorum duce Joh. Petro Frank; Pathologiam, duce Curt. Sprengel; Materiam medicam ex propriis Schedis, nec non Hygieinen et Artem formulas concinnandi praeleget.

Ignatius Wozniakowski, *Medic. Dr. P. P. O.*

Artem Obstetriciam, Morbos Foeminarum et Infantium explicabit hor. pomeridianis 3—4 quotidie, excepto die Saturni; Clinicen Artis Obstetriciae autem hora 8—9 matutina quotidie tradet.

Chirurgiam theoreticam docebit quinis diebus per hebdomadem ab hora 11—12 matut. exceptis diebus Saturni.

Sebastianus Girtler, *Phil. et Med. Dr. P. P.*

Politiem medicam, Medicinam forensem, tum Historiam Medicinae ac denique Institutiones Artis Veterinariae tradet singulis diebus, excepto die Saturni, idque ab hora 5. ad 6. vespertinam.

Josephus Sawiczewski, *P. P. O.*

Hor. mat. 9—10. Pharmaciam et Toxicologiam explicabit.

Josephus Kozłowski, *Med. Dr. S. P. A. et P.*

Hor. 12—1 quotidie excepto die Saturni docebit Anatomiam et Physiologiam.

Nicolaus Corde.

Hor. 8—9 mat. tradet Chirurgiam Practicam et Clinicen chirurgicam.

12.

ORDO PHILOSOHORUM.

I.) FACULTATIS MATHEMATICAE.

Carolus Hube, phil. D. Professor Mathes. sublim. h. t. Decanus Fac. math.

Hor. mat. 8—9 diebus Lunae, Martis et Jovis tradet Propaedeuticam ad Mathesin sublimiorem, Algebram, Analysin indeterminatam et Trigonometriam.

Hor. mat. 9—10 expositis breviter praecipuis trigonometriae formulis docebit Theoriam linearum et superficierum curvarum; per semestre hyemale diebus Lunae, Martis, Mercurii et Veneris. Iisdem horis per semestre aestivale calculum differentialem exponet.

Josephus Łęski; Phil. D. Astronomiae Professor, P. O.

Hor. mat. 10—11 quotidie praeter diem Saturni tradet I.) Astronomiam duce J. G. T. Bohnenberger (Astronomie Tüb. 1811.)

II.) Artem delineandi mappas geographicas ad projectionem stereographicam.

Aloisius Estreicher, Phil. et Med. Dr. Zoologiae et Botanices Professor P. O.

Hor. mat. 10—11 quotidie exponet Zoologiam per semestre hyemale.

Hor. pom. 2—3 diebus Lunae, Mercurii et Veneris I.) Mineralogiam, II.) Geologiam juxta systema Celeb. Werneri docebit.

Hor. mat. 7—8 Botanicam tradet per semestre aestivum.

Hor. pom. 6—8 exercitationes Botanicas instituet, et Botanices applicatae praxin ostendet.

Josephus Markowski, Phil. et Med. D. Professor Chemiae P. O.

Hor. mat. 11—12 quotidie excepto die Saturni Chemiam theoreticam et practicam cum experimentis exponet.

Romanus Markiewicz, Phil. D. Professor Physices P. O.

Hor. pom. 3—4 diebus quinis per hebdomadem, die Jovis scilicet excepto, tradet Physicam juxta Opus, quod inscriptum est: *Physique Mecanique par E. G. Fischer, Professeur de Berlin, avec des notes de M. Biot.*

Franciscus Sapalski P. P.

Hor. pom. 12—1 profitebitur Geometriam descriptivam per semestre hyemale. Mechanicam et Hydraulicam per semestre aestivale.

II.) FACULTATIS LITERARIAE.

Georgius Samuel Bandtkie, Ph D. Professor Bibliographiae, P. O.
h. t. Decanus.

Hor. pom. 2—3 die Mercurii et Veneris, hor. mat. 8—9 die Saturni Biblographiam profitebitur.

Collegium styli cultioris duce Beckio (*Artis latine scribendi praecepta Lipsiae* 1802.) et disputatoria philologica et historica cum selectis juvenibus instituet.

Julianus Czermiński, Phil. D. Professor Historiarum, P. O.

Hor. mat. 10—11 quotidie; I.) ennarrabit historiam antiquiorem et recentiorem. II.) Geographiam physicam et politicam. III.) docebit artem criticam, quae ad legendos historicos est necessaria. IV.) literarum et scientiarum progressum demonstrabit.

Felix Jaroński, Th. et Phil. D. Philosophiae P. P. O.

Hor. mat. 9—10 quotidie docebit Logicam, Metaphysicam, Ethicam, Historiam Philosophiae et Paedagogicam.

Paulus Czaykowski, Phil. D. Literaturae Polonicae P. P. O.

Hor. mat. 10—11. traditis praeceptis eloquentiae et poëseos, per classicorum Auctorum exempla illustratis, Auditores ad exercitia Linguae Patriae in utroque orationis genere ducet.

Petrus Boucher, Canonicus Cath. Kielcensis, Phil. D. P. P.

Hor. pom. 2—3 die Mercurii et die Saturni tradet praecepta linguae Gallicae et versionis, ex linguis, Polonica et Latina in linguam Gallicam, nec non docebit theoriam literarum elegantiorum ad normam Auctorum classicorum Nominis Gallici et Latini.

Extra ordinem profectiores in styli cultioris Gallici adyta, more suo consueto et probato horis, quae Auditoribus congruent, introducet.

Hermannus Schugt, Phil. D. P. P.

Hor. mat. 10—11. quotidie explicabit Herodoti historias.

Hor. def. semestri aestivo tradet styli Graeci cultioris praecepta.

Lectorium in Bibliotheca publica Univ. Cracov. patebit hor. pom. 2—4 hyemali, hor. 3—5 aestivo semestri, diebus Lunae, Martis et Jovis. Hospitibus vero extraneis, qui Bibliothecam, Musea, Speculam Astronomicam et Hortos Botanicos invisere cupiunt, nulla hora praefinita est, dummodo tempus praelectionibus sacrum Bibliothecario et Praefectis Museorum Mineralogici et Zoologici et Horti Botan. condonare velint. Quovis tempore de commoda hora certiores facti curiosis hospitibus nunquam deerunt.

Horis designandis docebunt: *Josephus Peszke* artem pictoriam cum theoria artium duce Winkelmanno Polonico Ill. Comitis Stanislaï Potocki. Winkelmann Polski Tom. I. II. III. 8vo. *Josephus Brodowski* artem delineandi et pingendi, *Hermannus Schugt* Linguam Anglicam.